¶Ioannes Petrus Valla Doctiſſimo Viro Marco firmano Salutem. Dicit Plu.

Sæpenumero a me optime Marce popoſciſti: ut patris dictata in primum Ciceronis
quæſtionum Tuſculanarum tibi publicanda exhiberem quod ſcires ob contractam
amicitiam dum cum ipſo frequenter uerſareris: poſt publicas lectiones ipſo dictan.
te aliquot fuiſſe perſcripta. Ego uero (ut ſcis) aliquamdiu recuſaui: quia mihi uide.
bantur: qui illa acceperant non ita examuſim: ut a patre meo erant lingua deprom.
pta aliqua deſcripſiſſe. Nec ipſe in præſentiá poſſem ob alia quædam circa talia ſtu.
dium adhibere. Deinde quia non eſt quicq̄ quod ex tempore enunciatum longe
deterius & minus accurate non dicatur quá ſi componentis manus acceſſerit. Itaque
cum mentis meæ ſinum: ut erga amiciſſimos facere par eſt tibi aperuiſſem: tu uehe.
mentior adhuc me in ſpem gloriæ futuræ patris hortari atqꝫ adeo ícitare cepiſti aſ.
ſerendo illa ex doctiſſimorum uirorum etiam conſenſu huiuſmodi eſſe ut in poſte.
ritatem luculentiſſime tranſire poſſent: noſque inde non mediocrem apud Cicero.
nis ſtudioſos beniuolentiam adepturos. Vnde factum eſt ut ullo pacto tergiuerſan.
dum non duxerim: ſed tuo parendum cenſuerim conſilio: quod de honeſtate: amo.
re: obſeruantia: ac erga præceptorem tui ut noui amantiſſimum pietate emanare pla
ne perſpexerim. Et non modo quæ poſtulaſti: ſed alias etiam eiuſdem interpretatio.
nes animo promptiſſimo noſtræ exactæ amicitiæ pignus: ſponte offerendo. Itaquæ
tua nunc intererit ut eam his editionibus adhibeas diligentiam: quam aliis tua cura
atque impendio impreſſis adhibere conſueſti: quo ſtudioſi qui has tua de cauſa le.
gent quá emendatiſſimas perlegant. Nos certe ut ſe nobis concrediderunt ita ipſas
tibi committimus commendamuſqꝫ Vale.